

non cessavit, dies noctesque cum lacrymis orando instare pro *iv̄ī īnḡs̄o*, unò quoq; ipsorum, etiam perditissimò, etiam desperatissimò. Rectè enim Augustinus, Libr. 1. Retract. c. XIX. *De quòcunq; pessimè in hac vita constituto non est utiq; desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Urget porrò, quod minister Ecclesiæ non facile malè ominetur. Nihil enim saluti obstare, nisi infidelitatem & finalem impœnitentiam. Deum autem pro immensa sua misericordia etiam extremum spiritum trahentibus cor tangere & ad se trahere posse. Nec ideò eos etiam in individuo, quos Scriptura quatenus tales in genere damnat, mox damnatis accensendos esse. Rectè iterum Augustinum dicere: *Pœnitentiã aboleri peccata indubitanter credimus, etiam si in ultimo vita spiritum admissorum pœniteat.* Monet denique nemini peccantium adulandum esse, peccantes è contra seriò objurgandos, ut à diaboli laqueis resipiscant. Ex quibus denique concludit: *Ministram Ecclesiæ de auditoribus suis sperare optima.* Nam quibus salutem seriò optavit, pro quorum salute ardentè oravit, de quibus non facile mali quid ominatur, quos seriis exhortationibus & monitis ab exitio suo retraxit, quomodo de illis non optima quæq; sperare possit? *Cum præsertim promissionem habeat, se non laboraturum frustra, preces quoq; & suspiria sua non fore irrita?* Constat ergo ex dictis, pastores, si hoc modo cum auditoribus suis conversentur, de nullius salute omninò dubitare debere, quam diu non MANIFESTA incredulitatis aut impœnitentiæ signa apparent. Si verò ne Ecclesiæ quidem Minister, qui tamen singulorum auditorum suorum, etiam flagitiosissimorum, etiam eorum, qui in flagrantibus peccatis, ad extremum ferè usque Spiritum, dicente Augustinò, vixerunt, accuratiorem præ cæteris notitiam habet, de cujusquam salute omninò dubitare, de omnibus singulisque benè sperare debet, quidni eandem spem habeant cæteri Ecclesiæ cives omnes? De cujus verò salute non dubito, sed benè spero, eundem nihil impedit, à me quoq; ex eadem spe Beatum prædicari.

§. XXIII. Adeò IV. pietati & æqvitati conveniens hîc mos est, ut eundem receperint non Ecclesiæ tantum apud Christianos, extra Fanaticas pleræque, sed ejus vestigia in ipsismet ab omni fide deviis Judæis atq; gentilibus reperiantur. De Romanâ & Calviniana Ecclesiæ res nota est. Judæi suorum doctorum nunquam faciunt mentionem nisi additò bea-